DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINIQ; DEIPARÆ ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS M NE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, III. FEBRVARII,

M. ARMANDO IOANNE DE MAVVILLAIN, Doctore Medico, Præside.

An Puerperæ febricitanti vnâ lochijs fluentibus Saphena potiùs quàm basilica secanda? 993

DVO sunt generationis nostræ principia distincta generatione, naturâ & efficaciâ; semen & sanguis menstruus: illud ab vtroque parente promanat, à toto corpore deciduum: ille ex vtero solo; est enim sola mulier menstrualis; Illo lunari sanguine quæ mulieres perfruuntur ex naturæ legibus, has meritò fortunatas dixeris: infælices quibus non datur γυναικεῖα. Sanguis ille cum vacuas tum grauidas nec-non puerperas variis modis exercet: si vacuas, dum mensibus singulis, statâ periodo muliebres locos irrigat, luculentum est fœcunditatis argumentum: si grauidas, ille puriore sui parte fœtum alit, impurior in vtero manet, donec affectet sibi viam fœtus ad vitales auras: in puerperis pars illa sanguinis impurior sibi lochiorum nomen adsciscit, quæ sicut mirâ naturæ prouidentiâ non fuere fœtui nocumento, ita eodem exiliente, illa vt protinus erumpant necessum est, sin minùs, illicò videris sæua symptomata, tum in partibus in quibus tantisper morantur, tum ad quas allabuntur.

ILLINC affligit puerperas morborum Ilias: Vxorem Philini febris, deliria, conuulsiones, morsq. ipsa corripuerunt: Stymargi ancillæ tremores toto corpore, Epicratis vxori acerbissima multa contigerunt. Vxor Dromeadis anxia, comatosa, φρικώδης & delirans vel à primâ febris die, septimâ interijt: Melidiam, propter γυναικεῖα σμικρά, peripneumonia inuasit: Mulier decumbens in foro Mendacium post grauissimos labores, die decimâ quartâ ἄφωνος καὶ ἄναυδος interijt; necnon puerpera decumbens in Thaso quæ mente non constans, aluo turbatâ & soporosa καθάρσιος μὴ γινομένης, & alternantibus grauium symptomatum periodis obijt die octuagesimâ: Alia quædam λυσσώδης insaniuit non priùs sanitati restituta, quàm menstruis copiosè erumpentibus: Denique mulieri in Cyzico non abundè satis post partum expurgatæ conuulsiones, deliria, morsque ipsa, die septimâ contigêre.

SED inter tot calamitosa febris ducit principatum, rarior quidem illa, ex neutrâ corporis constitutione, per subortam in vasis maioribus humorum putredinem, frequentior, ex lochiorum malâ conditione, paucitate, ἐποχῇ vel ἀναδρομῇ: Hæc quia sunt malefica, πυώδεα, μέλανα, κάκοδμα χάρτα, καὶ δύσοδμα, præsentem corporis præparationem ad febrem promouent, & illam quæ placidior erat futura, faciunt maligniorem, suo illuc excurrente fomite; eóque grauiorem, quò cæteros humores puerperia prauitate, antecellunt. Quanta verò ex illis calamitas in vteri locis? illinc exulcerationes οἰδήματα τῆς ὑστέρης: illinc ζέσις, ζύμωσις καὶ ὀξυφλεγμασίη: Illinc vterus ἐξαιρεῖται: Si fiat eorum ἀναδρομὴ, inde tremores, vomitiones cruentæ, Cor σπᾶται, stomachus καρδιώσσει, intercidit διάνοια: Hic ergo frustrâ mediteris aliquid de febre continuâ primaria: hæc omnis penè continua symptomatica est, quam & veriùs cum diuino sene πλανήτην πυρετὸν καὶ πλάνον appellaueris, nunc à partu, nunc à die febris computandam.

TALI nodo talis est ad curationem cuneus, Venæ sectio, ἡγεμονικόν, atque his legibus imperanda. Medicum ducere oportet humores per loca Naturæ conuenientia, atque vt sunt eorum inclinationes, ita & euacuationes instituere. Omnis humorum malefica qualitas à partibus nobilibus longè reuellenda est: Sectiones venarum superiorum faciunt à venis inferioribus ἐπανάκλησιν; & angustioribus locis coërcitam humorum κακοήθειαν per ὁλομελίην diffundunt: nulla puerperiorum ἀναδρομὴ facit ἀναγωγὴν salutarem: reuocandus est humor ad carceres, & omnis exoneranda pars est, per directas venas decliues & propinquiores partes: Quæ partes dolent infra renes & hepar constitutæ, inferiores venas tundi postulant. Hæ sunt leges Hippocratis & Galeni legibus tam consentaneæ, vt in morborum sequentium curatione aberrare profectò sinant neminem.

VTERI affectus omnes, demptâ tantisper corporis plenitudine, per sectas venas τὰς ἔσω, inferiores maximè secari postulant: sic vtero inflammato τῷ ῥευματίζοντι καὶ ἀναφλέγοντι tutò medeberis, minùs tutò si febre continuâ incipiente vnâ erumpentibus statâ periodo menstruis superiores venas secueris, nisi pleuritide vel angina præsentibus, sinenda tantisper Natura est dum suas vices expleuerit; illa nouit suas ἐφόδους, nobis ignotas: Verùm hoc feceris cum vitæ discrimine, si puerperæ febricitanti & lochiis fluentibus κατ' ἴξιν basilicam secueris, illud ipsum inclamat vox populi, vox Dei, & frustra sapis ex commentario, dum te fama publica condemnat; tuæ infælix euentus tribuetur contumaciæ: Neque verò saphena priuatas tantum sedes, sed & publicas consequenter exhaurit: hoc docet Stymargi famula Idumæa, cuius corpus vniuersum cum tremores occupassent, propter reflua partus purgamenta, illam, sectâ ad malleolum venâ, sanauit diuinus Senex: illa est insuper non soli vtero, sed & coxendici, ischiadi, vesicæ & renibus leuandis peridonea.

Ergo puerperæ febricitanti vnâ lochijs fluentibus Saphena potiùs quàm basilica secanda.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Legier.
M. Ioannes Chartier Med. & Prof. Reg.
M. Ioannes Pietre Decan.

M. Petrus Yon.
M. Claudius Germain.
M. Germanus Preaux Chir. prof. desig.

M. Carolus Bouuard LVDOVICI XIII. *prim. Med.*
M. Dionysius Guerin.
M. Io. Riolan Antiq. Mag. prim. Reg. M. M. M. Med. Pr. Reg. Decan.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL LANGLOIS Parisinus, A. R. S. H. M. DC. L.